



**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De aliis nouem motiuis ad vitanda peccata mortalia: quia per hæc homo Deum repudiat, & dat materiam diabolo, vt exprobret Deo, quod ille pluris fiat quàm Deus: & quia peccatum mortale peius est ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

CAPVT. NONVM.

De aliis sex motiuis ad vitanda peccata mortalia, quia per hac homo Deum repudiat, & dat materiam diabolo, vt exprobrat Deo, quod ille pluri fiat quam Deus, & quia peccatum mortale peius est inferno, & diabolo, & hominem reddit viliozem bestis, eterna damnationis est causa, & calamitatum huius vitæ, & infinitam in se malitiam continet, & summè odiosum hominem Deo reddit.

115. Sextum motiuum. Quia per quoduis peccatum mortale homo Deum repudiat, non tantum fit mancipium Diaboli ex decreto Dei, sed ipse prius se diabolo addicit spontè, & voluntariè subicit. Quid nos in omnibus rebus miserum hostem (diabolum) inquit S. Gregorius Nazianzenus, accusamus, eique noxas omnes nostras adscribimus, cum ipsi scelera à nostrâ viuendi ratione, potestatem demus: Tibi ipsi vel soli, vel potissimum succense. Ignis enim noster est, flamma autem aduersi spiritus. Vnusquisque, ait S. Augustinus, peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Hac dere Dominus coram S. Brigitta questus est. Nunc ex toto oblitus sum, & neglectus, & contemptus, & tanquam Rex à proprio Regno expulsus, in cuius loco latro pessimus electus est & honoratus. (scilicet diabolus.) In homine denique regnum meum esse volui vt super eum de iure Rex & Dominus esse deberem, quia feci eum & redemi. Sed nunc fregit & profanauit fidem quam mihi promissit in Baptismo, violauit & spreuit leges meas, quas ei proposui: diligit voluntatem propriam, & me audire contemnit, insuper & pessimum latronem diabolum, super me exaltat, & ei fidem suam dedit, qui verè latro est, quia animam hominis, quam sanguine meo redemi, ipse mala suggerendo, & falsa polliciendo ad se rapit. Si crederes te post peccatum mortale commissum, statim fore captiuum Turcarum & mancipium eorum, reuera abstineres à peccato mortali. Cum ergo maior sit captiuitas diaboli quam Turcæ, cur eam non declinas? cur sponte illam eligis? speras te per confessionem euasurum ex hac captiuitate? Sed quis est tam stultus, inquit Cicero, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum: quin etiam atas illa multo plures quam senectus mortis casus habet. Et vt ait S. Augustinus, Crastinum diem quis sibi promissit vbi mihi legis indulgentiam te recepturum, si te correxeris: ibi mihi lege, quantum victurus sis. Fieri ergo potest, vt in peccato mortali moriaris, vt pro dolor multis accidit, antè benè sanis & vegetibus.

118. Septimum motiuum. Quia quolibet peccato mortali aliud committens, dat materiam diabo-

lo, exprobrandi Deo tam magno Benefactori suo, quod pluri faciat diabolum, quam Deum, & vt hac exprobratione, diabolus quodam modo triumphet de Deo, & ei iniuriam ac contumeliam inferat. Terribilis me quidam cum mentis consferatione horror inuadit, inquit S. Basilius, beneficia Dei considerantem, pro illis non gratiam à nobis, sed tantum vt diligatur postulantis, & metuentem, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus, Christo dedecori sim. Qui enim nunc assidue suis artificijs nos circumuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescians omni conatu efficere studet, vt datorum nobis beneficiorum, Deique ipsius memoriam, ex animis nostris euellat: is, vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans (etiam nunc dum viuimus) vehementissimè que insectans, contempionem nostram Domino contumeliosè exprobrabit, contumaciaque ac defectione nostrâ ab ipso, gloriandi materiâ aduersus illum victur, quod videlicet, cum nos ipse neg, creari, neg, pro nobis mortè subierit sibi tamen, spreus contemptisque Dei præceptis, obsequentes habuerit. Et statim S. Basilius ostendit, quàm sit graue & detestandum. Equidem, inquit, ego istam futuram (immodò præsentem, quia hoc ipsum nunc diabolus Deo exprobrat, dum adhuc viuunt peccatores) aduersus Dominum contumeliosam opprobriationem ac dedecus, & insolentem hostis gloriationem, grauiora longè esse statuo, quàm ea que sunt in gehenna supplicia: materiam videlicet nos aduersario Christi gloriosius sese aduersus illum efferendi, extitisse, qui concilianda causa nobis salutis, & mortuus sit & resurrexerit, cui vel hac gratia maiorem in modum debitores sumus.

Octauum motiuum. Quia Sanctorum iudicio, peccatum mortale est peius inferno. Omne quidem peccatum mortale est quidam infernus, præsertim carnalis libido. Hinc Iaias de Synagoga ait: Humiliata es vsque ad inferos. Vbi inferos posuit, ad profanas libidines exprimentas. Reuera grandis humilitas, inquit S. Hieronymus, non qua in laude est, sed qua est ad inferos præcipitatio, de luce & in culmine castitatis in tenebras lupanaris, imò in barathrum libidinum præcipitari. Pro inferis, inquit S. Augustinus, ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, omnem intrantem ad se trahit. Quare idem alibi docet, eos quia suis concupiscentiis abrepti in suas libidines præcipitantur, similes esse Dathan, & Abiron, qui descenderunt viuui in infernum. Dicuntur autem viuui in infernum desilire, non solum omnes qui inuiti peccant, sed illi præcipuè, interprete S. Greg. Papa, qui scientes sentientesque quò ruat, nihilominus sua se sponte in peccatorum barathrum præcipitant. Sed adhuc mortale quoduis peccatum, præsertim luxuria, est inferno peius. Improbitas, inquit S. Chrylostomus, quàm gehennâ grauior habenda est: improbum esse, quoduis supplicium malignitate excedit. Et alio in loco: Omnes cruciatus (loquitur de inferno) qui nunc sunt, quique

Reg. a. ful.

119.

Iai. 37. 9.

in Comment.

S. 107. de temp. ep. 48.

Num. 16. 33.

1. 18. mor. c. 9. & 4. p. Past. Admonit. 32.

S. de amore Dei & tol aduers. to. 5. or. de prouid.

quæ, futuræ sunt, iusto sunt nimores animo ad improbitatem prolapsi. Merito ergo S. ille Eleazarus dixit, præmitti se malle in infernum, quam committere peccatum mortale, ad quod sollicitabatur ab alijs. Sic S. Anselmus dicebat: *Si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessarium immergi deberet, prius infernum quam peccatum appeteret.* Causam huius rei sic præ explicat S. Basilius, postquam dixit, Deum amorem à nobis tanquam ex alienum exigere. Et enim alienatio à Deo uersusque, malum est omnibus que in gehenna expectantur; intolerabilis. Quod si etiam qui geniti sunt, naturæ erga eos qui ipsos genuerunt charitas inest, quod ex ea animi affectione comprobatur, quæ cum brutas animantes, tum ipsos etiam homines; ipsa primæ ætate aduersum matres habere animaduertimus, ne quæso id committere uelimus nos, ut aut rationis inopia pulsiones istos, aut immanitatem feras bestias incedere uideamur, qui & alieno, sicut ab eo, unde conditi sumus; animo sensus ac uoluntate, nullaque aduersus illum charitate propensi (quæ procul dubio non est in mortaliter peccante, solo enim peccato mortali, ut docent Theologici cum S. Thoma, uolatur illud de dilectione Dei præceptum, id illic Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua) quem profecto ut ex eius bonitate non nosceremus, at certe ob id unum, quod is est qui nos procreauit, mirabiliter diligere, & charitate summâ complecti deberemus, perpetuoque de eius memoria non secus pendere, quam de parentum suorum teneri infantes soleant. Inter eos autem ad quos diligendos natura incitatur, sine dubio is præstat, qui bene etiam de nobis meritus est. Atque hæc animi affectio, non hominibus modo peculiaris est, uerum ipsi etiam cum omnibus fere animantibus ceteris communis est, ut uidelicet eos diligant, à quibus beneficium acceperunt. Cognouit enim, inquit Isaias, bos possessorem suum & asinus præsepe domini sui. Sicut ergo abstinere à peccato mortali, si certe scires te immediate post illud perpetratum, detrudendum fore ad infernum, ita debes abstinere à desiderio uoluntario & consensu ad peccatum mortale patrandum (ex quo nascitur ipse actus peccati) quia & talis consensus, & peccatum ex illo nascens, est peius inferno.

110. Nonum motiuum. Quia qui mortaliter peccat, bestias se similem reddit, & se uolens infra humanæ naturæ dignitatem demittit. *Hominem te agnoscere nequeo, inquit S. Chrysostr. cum tanquam asinus realiter: lasius ut taurus: tanquam equus post mulieres hinnias: uentri tanquam uersus indulgeat: ut mulus carnem impingues: malum memoria teneas ueluti camelus: rapias ut lupus: ut serpens in ascaris: ferias ut scorpium: sis subdolos ut vulpes: nequias tanquam aspis & vipera ueneni serues: & sicut ille malignus demon fratres impugnes.* Sic oratos homines, quibus præter ventrem & ea quæ sub ventre sunt, nihil curæ est, appellat Clemens Alexand. Lactantius solis lineamentis esse homines, cetera belluas, & apud illum Aristippus, eos solâ uoce dixit differre à bestiis.

Quod etiam alij agnouerunt ethnici præsertim Epictetus apud Arrianum. Immo uerò peccans ostendit se peiorè bestiis irrationalibus tres ob causas. *Primum*, quia ut ait S. Chrysostr. & eius discipulus S. Isidorus Relasiota, uno horum uitio serè tenentur, tu uerò pariter omnia circumferens; ad maiorem quam illa feritatem progredere. *Secundum*, quia brutum quodlibet, uicinia bestia est, qui uerò peccat, in tot transformatur bestias, quot admittit peccata, ut ait idem S. Chrysostr. alio in loco. *Tertio*, quia ferè ob multo maiora beneficia ab hominibus percepta, nunquam illos offendunt, ut tu Deum tantum benefactorè offendis, sed miram exhibent gratitudinem.

Mira scribunt authores de gratitudine bestiarum erga benefactores suos, ut de leonis gratitudine erga Elpidem Samium Plinius: & quod suo tempore contigisse narrat B. Petrus Damiani, & aliud suo tempore gestum recenset Gulielmus Parisiensis, de leone à draconis faucibus, hominis ope erepto, qui ad eum se gratum suo liberatori exhibuit, ut coram eo in medio exercitu mitissimè se haberet, & quotidie captam uenando prædam, ad eum deferret, reuertentem autem, nauigio sequi prohibitus, natando profectum tentans, tandemque in natando deficiens, submersus est. Ponderat hanc ueritatem S. Basilius cum magno sensu animi. Cum enim hortatus esset ad admandum Deum, saltem ad beneficia creationis & redemptionis, subdit: *Nolim esse dictum de nobis, quod dixit Isaias de Iudæis: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Nam de cane compluribusque eiusmodi animalibus, quid attinet commemorare, quam insignem beneuolentiam declarent, & gratitudinem in eos, à quibus ipsi alimenta præbentur. Quod si naturâ nobis tributum est, ut ad complectendos beneuolentiâ atque amore eos excitemur, qui bene de nobis meriti sunt, neque labor est ullus, quem (ut illis pro collatis in nos beneficiis gratiam referamus) non libenti animo excipiamus, quenam obsecro inueniri rationis facultas potest, quæ data nobis à Deo beneficia, dignè satis queat explicare, quæ quidem numero ad eum sunt multa, ut numeri rim omnem effugiant, magnitudine uerò tanta, ut uel unicum modo ex his idoneum sit, propter quod nihil non subeamus, ut illius uoluntati obsequamur. Cur ergo uoluntati eius contradicunt qui mortaliter eum offendunt contra uoluntatem & præcepta illius, cum bestie ob beneficia minorâ, suum benefactorem non offendant, sed ostendant se esse gratas? Extant huius rei varia exempla apud sacros & profanos auctores. Mirum est illud exemplum leonis qui ob spinam à B. Gerasimo Abbate è pede euulsam, recedere à canobio noluit, ipsoque mortuo, magno rugitu edito, & ipse se sepulchro eius incumbens, exspirauit.*

Historia præclara ita refertur in spirituali (ex quo libro in septimo Concilio Catholico Generali,

1. Mach. 6. 23.
1. 2. vit.
R. Eg. 2. f. u. fa.
110.
S. 27. ad pop. & hom. 4. in Matth.
1. 2. pedag. 1. 5. iust. c. 11. l. 3. c. 8. fr. c. 3. l. 4. c. 5. Chr. hom. 2. 3. ad pop.

111.
111. 2. ep. 135.
hom. 1. in Ioan. inf. ne.
Plu. l. 8. c. 16. D. l. 6. ep. 3. G. l. de uirt. cap. 9.
R. Eg. 2. f. u. fa.
111. 3.
cap. 107.

nerali Nicano secundo harefis Iconoclasta-
 11. rura damnata est, & vltus sacrarum imaginum
 comeditus. Cum Abbas Gerasimus ex pede leo-
 nis extraxisset aculeum infixum, & magna putredinis
 copia expressa purgatoque vulnere, & panno alligato,
 dimisisset eum, leo se curatum videns, noluit senem dese-
 rere, sed vt tharus discipulus, quocumque pergeret ma-
 gistrum sequebatur, ita vt admiraretur senex tantam
 ferae gratitudinem. Igitur ex tanto senex nutriebat
 eum, mittens ante illum panem, & insulsa legumina.
 Habebat autem ipsum monasterium asinum, ad seren-
 dam aquam pro necessitate fratrum de Iordane. Con-
 suetudinem autem fecerat senex, vt curam pascendi a-
 sinum leo haberet. Itaque abiens cum illo iuxta Iordanis
 ripam, pascentem obseruabat. Quadam autem die dum
 pasceret asinum, leo se ab illo longiusculè auertit, et
 ecce Camelarius ex Arabia veniens, inuentum asinum
 accepit, & secum ducit. Leo vero amisso asino, rediit in
 monasterium tristi valde, & delecta facie, ac ceruice,
 ad Abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putauit,
 quod asinum comedisset leo, & ait illi: Vbi est asinus
 ille verò quasi homo stabat tacens, & deorsum aspi-
 cians. Dicit ei senex: Comedisti eum, benedictus Domi-
 nus. Quicquid faciebat asinum, amodo facies tu. Ex-
 tunc igitur leo iubente sene, portabat canthelium ca-
 pientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in mo-
 nasterium. Die verò quadam venit miles quidam ad
 senem benedictionis gratiã. Qui cum videret leonem
 batiuantem aquam, didicissetque causam, miseris
 eius proferensque vtra nimuminata dedit senibus, vt
 emerent asinum, ad ipsius aque ministerium, & libera-
 rent eã necessitate leonem. Breui autem transacto tem-
 pore, postquam liberatus à labore fuerat, Camelarius
 ille qui asinum abstulerat veniebat ferens triticum, vt
 venundaret illud in sancta ciuitate, habens & asinum
 secum. Et cum transisset Iordanem, accidit, vt occurre-
 ret leoni. Quo viso, dimisit camelos, & fugit. Leo au-
 tem, cognito asino, eucurrit ad eum, & ore, vt solebat,
 eius capistrum mordens, traxit eum eum tribus came-
 lu, & gaudens simul, & rugiens, quod perditum a se-
 lum reperisset, venit ad senem. Senex autem putabat,
 quod asinum leo comedisset. Tunc verò didicit, quia in-
 silias passus fuisset leo. Imposuit autem nomen leoni
 Iordanem. Egit itaque leo in monasterium cum fratribus,
 plus quam quinque annos, nunquam recedens à sene.
 Cum autem migrasset ad Dominum Abbas Gerasi-
 mus, & à patribus sepultus esset, per dispensationem
 Dei leo tunc in monasterio inuentus non est. Post mo-
 dicum verò venit leo in monasterium, & querebat se-
 nem suum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & disci-
 pulus fuerat Abbatis Gerasimi, viso illo, dixit ei: Ior-
 dane, senex noster dimisit nos orphanos, & migravit
 ad Dominum; sed accipe, & comede. Leo autem co-
 medere volebat, sed ingitit huc, atque illic se vertens
 circumspiciebat querens videre senem suum, ac rugitu
 magno ipsius absentiam se ferre non posse significans.
 Abbas autem Sabbatius, & senes reliqui fricantes eius
 ceruicem dicebant ei: Migravit senex ad Dominum, &
 dimisit nos. Sed ista dicentes non poterant tamen illius
 voces, & eulatus mitigare, sed quando amplius ipsam

verbis fouere, ac solari se existimabant, tanto ipse ma-
 gis eulabat, maiorique rugitu vtebatur, & lamenta
 adiciebat, ostendens ex voce facie, & oculis merorem
 quem habebat non videns senem. Tunc ait illi Abbas
 Sabbatius: Veni mecum, ex quo non credis nobis, &
 ostendam tibi, vbi positus est senex noster. Sumensque
 eum duxit, vbi illum sepelierant. Distabat autem ab
 Ecclesia quasi passibus quinque. Et stans Abbas Saba-
 tius supra sepulchrum Abbatis Gerasimi, dixit leoni:
 Ecce hic senex noster sepultus est. Et inclinavit genua
 sua Abbas Sabbatius supra sepulchrum senis. Cum er-
 go id leo audisset, & vidisset prostratum super tumu-
 lum Abbatem Sabbatium, & stentem, tunc & ipse pro-
 stratus se, percussit in terram caput suum vehemen-
 ter, & rugiens, atque ita continuo defunctus est super
 sepulchrum senis. Hoc autem eorum factum est, non
 quia animam rationalem habuisse leo putandus sit, sed
 quod Deus voluerit glorificantes se glorificare, non so-
 lam in vita hac, sed etiam post mortem, & monstrare
 nobis qualem primo homini habuerint subiectionem
 bestie, priusquam inobediens esset mandato, & ame-
 quam excederet è paradiso deliciarum.

Præclarum est & illud exemplum alterius
 leonis quod refert Aulus Gellius ex Appione
 Polyhistoro & Seneca: Cum enim Androclus qui-
 dam damnatus à seuerò fuisse Domino in Africam, &
 in specu quadam leonis delitescens (ignorans esse leonem)
 aduenienti leoni è cruento pede stirpem ingentem vesti-
 gio pedis eius harentem reuulsisset, conceptamque sa-
 niem vulnere intimo expressisset, accuratiusque sicasset
 penitus, atque detersisset cruorem, leo illius medela le-
 uatus, ex eo die triennium totum in eadem specu An-
 droclum aluit, ex iis quas venabatur feris, membra
 optimiora ad specum Androclo suggerens. Sed cum
 Androclus specum reliquisset, vita illius serina pertasus,
 & viam ferme tridui perueniens, à militibus apprehen-
 sus, & ad Dominum ex Africa Romam deductus, à
 Domino datus ad bestias esset, dum in circo maximo
 venationis pugna populo daretur & tunc ille Androcli
 leo, etiam captus Romamque adductus, introductus es-
 set. leo ille vt vidit procul Androclum, accessit ad eum,
 & caudam more atque ritu adulantium canum, cle-
 menter & blandè mouit, hominisque se corpori adiuu-
 xit, cruraque eius & manus linguã leniter demulsit.
 Eã re admirabili, maximi populi clamores excitati.
 Accersito ergo à Cesare Androclo, queritur causa, cur
 ille atrocissimus leonum illi parisset? Androclus rem
 narrauit prout gesta est, tunc cunctis petentibus, dimis-
 sus est Androclus, & penã solutus, ledque ei suffragiis
 populi donatus. Postea visus est leonem loro tenui reuim-
 ctum, vrbe totã circum tabernas ducere, quo tempore
 Androclus ere donabatur, floribus spargebatur leo, om-
 nesque ferè vbi que dicebant: Hic est leo hospes hominis,
 hic est homo, medicus leonis. Si ergo leo, quia fuerat
 sanatus ab Androclo, præbuit in sua specu An-
 droclo quietum hospitium per triennium, cur
 tu qui peccas mortaliter, Christi linore sanatus,
 vt ait Isaias, Deo non præbes hospitium per
 vnum saltem mensem, per vnum saltem diem,
 sed eum cuius sunt delicia esse cum filiis hominum, &
 qui

122.
 Gel. l. 5. c.
 14. Sen. l.
 2. de be-
 nef. c. 19.

Isai. 55. 5.

qui pro te non admissus est, nasci volens, ad ducendum, excludis ex anima tua peccatis mortalibus: Si leo ob expressum à suo pede sanguinem, ad eum adamavit Androclum, cur tu Christum, qui pro te non ex vno sed utroque pede & manibus & toto corpore diuinum sanguinem effudit, à tuis peccatis expressum, non amas sed peccatis mortalibus, vt ait Apostolus,

Heb. 6.6. *iterum crucifigis? Quid in die iudicij dices Christo iudici, te, à feroci bestia, gratitudine & beneuolentia superatum? & locum in ter mites ouiculas Christi, pastorem non cruentantes, non occidentes, tunc, sed tardè quærentem? Quid respondebis ad talia? Sed & ego addam aliquid: memini bene dum puerulus essem quinquennis, Vilna: in Lithuania me uidisse canem supra tumbam Palatini Minscensis cognomine Oscik mortui iacentem, & per fenestellam vitream Dominum suum ibi depositum aspicientem, & lacrymas ex oculis fundentem, paulò post ob mortem Domini, ipsum quoque præ dolore esse mortuum. Memoria beneficiorum, ait S. Basilus, canis, gratiaque reddenda, quem ingratum beneficiorumque immemorem, non pudore ac dedecore asperit: nam quidem & interfectis à latronibus in solitudine dominis, complures à cadaveribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse, memoria traditur. Nonnullos etiam cade adhuc recente, duces illis fuisse qui latrones inquiserunt, & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quis non erubescat, inquit Ambrosius, gratiam bene de se merentibus (hominibus) non referre, cum vident etiam bestias refugere crimen ingrati? At qui peccant mortaliter, Deo ipsi se ostendunt ingratos, quod non faciunt hominibus bestia. Proinde meritò S. Chrysostomus dixit: Hominem malum, peiorem esse bestia & demone. Et alibi: Scientes, ait, quod & bruti simus peiores, si virtute careamus, hanc exerceamus, vt efficiamur homines, quin potius Angeli. Et author imperfecti: Si bestis hominem malum comparare volueris, peiorem inuenies eum.*

hom. 9. ad pop. hom. 39. ad pop. hom. 24. in Marth. hom. 30. ad pop. 123.

1.6. Offic. cap. 4.

Decimum motiuum. Quia mortaliter peccans, est propior diabolo, vt etiam alio in loco dixit S. Chrysostomus. *Quærit, quas ob causas?*

Respondeo. Ob has. *Primo.* Quia diaboli sunt præstantioris nature quam homines (sunt enim in natura pares Angelis bonis) ideo iniuria illata Regi à rustico, ceteris paribus, est grauior & maior, quam à nobili. Nos respectu nature Angelicæ, sumus plus quam rustici, Angeli, tanquam nobiles. Respectu autem Dei, iudicio S. Chrysostomi, nos sumus minus quam lumbrici, (vermes) respectu hominum. Ideo ex hoc capite, peccans mortaliter est peior diabolo, quia Deum magis offendit.

Secundo. Quia diaboli tantum semel peccauerunt, homines mali sæpius.

Tertio. Quia diaboli non contra plures species peccatorum peccauerunt, è contra mali.

Quarto. Illi non acceperunt à Deo tot beneficia naturalia extrinseca, vt mali: nam non est creatus mundus cum tot creaturis pulchris & præstantibus propter Angelos, sed pro malis est creatus.

Quinto. Non fuit pro diabolis Deus incarnatus, nec passus, nec mortuus, vt pro malis: ceteris autem paribus, maiores sunt offensa, quæ fiunt contra maiorem benefactorem, ab homine pluribus beneficiis cumulo.

Sexto. Angelis Deus non dedit vlla extrinseca remedia ad præseruandum illos à peccato, vt tibi Deus dedit, tum alia media, tum Sacramenta, quorum vltus poterat te si voluisses præseruare à tot peccatis, post vsum Sacramentorum à te commissis: siquidem sola Eucharistia, vt ait S. Bernardus, tollit in minimis sensum, in maximis, (id est mortalibus peccatis) consensum. Ex quo capite maior est peccantis iniquitas, quam diaboli qui nulla extrinseca habuit remedia.

Septimo. Metu inferni, qui est validissimum motiuum ad non peccandum, diaboli non poterant retrahi à peccato suo, quia tunc nondum erat infernus, vt potest quiuis peccator credens esse infernum, & credens se illum mereri quolibet peccato mortali, & sciens aliquos ob minora & pauciora peccata, quam sint sua fuisse damnatos, inter quos est puer ille quinquennis à diabolo raptus, vt scribit S. Gregorius Papa.

Octauo. Diaboli breuissimo tempore in peccato deliberato perstiterunt, peccans autem homo diutissime & peccat, & post peccatum commissum, in illo sine confessione, idque toties iteratis vicibus, perseuerat, per multos sæpè annos iterans peccata.

Nono. Diaboli post peccatum non habuerunt vel minimum momentum temporis in quo possent pœnitere, vt habent omnes illi peccatores, qui non moriuntur in peccato: idè magis excusabiles sunt diaboli, quia pœnitere non poterunt ob defectum temporis, minus excusabiles peccatores, ac proinde ex hoc capite peccatum eorum est grauius: præsertim, quia noua præterea peccata, post primum peccatum addiderunt, & addunt aliqui quotidie, aliqui sæpius in die.

Decimo. Deus toties peccatorem in gratiam recepit, & peccata dimisit, quod diabolo non fecit. Talis autem Dei beneuolentia & misericordia, etiam cor lapideum deberet mouere ad non peccandum amplius, cum ergo id non curet peccator; etiam ex hoc capite peior est diabolo, quia si illis peccatum semel remissum condonasset, procul dubio secundo non peccassent, multò minus tertio & quarto, & centesimo: vt multi faciunt, nec numerum peccatorum mortalium valentes Confessario in confessione dicere ob innumeram multitudinem eorum. Si ergò homo quiuis ad eum detestatur diabolum, multò magis is qui peccat mortaliter,

1.4. dial. cap. 15.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

1. Theol. 2. 16.

ter, debet seipsum detestari, tanquam diabolis peiorem.

hom. 4. in Matth. *Vndecimò. Auctor imperfecti, inquit, Homo malus peior est diabolo. Diabolus enim hominem iustū (nisi permittat Deus) non audeat accedere. Homo autem malus, non solum non timet sanctum hominem, sed etiam contemnit. Immo persequitur modis variis, contra Dei voluntatem & præcepta, quod dæmon non est ausus facere S. Iob, nisi volente Deo, non solum permittente.*

124. *Vndecimum motuum vitandi peccata mortalia est, quia quædam peccata mortalia complent illum numerum, quo ab æterno præuiso, Deus damnat eos quos damnat ad pœnas æternas inferni. Quod vt intelligant qui Theologicit studiis non sunt exculsi, sciendum est, Deum neminem damnare ad pœnas inferni, nisi propter peccata à peccatore commissa, in certo numero, hunc propter pauciora, illum propter plura, quamuis vnum solum dignum sit, quod pœnis æternis statim puniatur. Non attendant, vt SS. Virgo Maria dixit S. Brigittæ:*

1. Reuel. ap. 17. *Quod minimum peccatum, (scilicet mortale) si homo delictatur in eo, satis est ei ad supplicium æternum. Postquam ergo peccator deuenerit ad complendum illum numerum, ad quem Deus præuidit ab æterno peruenturum peccatorem, & subiturum iustam æternæ damnationis sententiam, illum damnabit. Hoc & Sancti Patres & Theologi docent, & ratio iustitiæ id exigat. Vnde bene Cornelius à Lapide, explanans illa verba Apostoli Pauli vt implent peccata sua semper. Hi Iudæi, inquit, accumulane peccata quoad implent mensuram quam designauit Deus, vt eâ impleat, omnia peccata eorum simul plene puniat euerione totius gentis per Titum & Romanos: Et infra: Tertio hinc patet, Deum Vrbibus, Regnis, & à pari proportionem, impiis priuatis, certum statuisse peccatorum cumulum, ad quem pœnam vel vindictam differt, donec impleatur, vt eo impleto, omnia simul & perfecte vindicet & castiget. Idem patet Genes. 15. 16. vbi Deus terram Chanaan Abrahæ promissam ei dare distulit per 400. annos. Necdum, inquit completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Quasi dicat: post 400. annos complebuntur iniquitates Amorrhæorum, tumque eos excindam, & te, id est, posteroribus Hebræos, in terram eorum inducam. Sic Matth.*

23. 32. 35. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum, vt sicut illi Prophetas occiderunt, ita vos me & Apostolos occidatis. Similia dicit Cornelius ex Theologorum doctrina (quorum libros in hoc Collegio, vbi ista scribo, non habemus) explicans capitis 33. Matthæi, versum 32. 35. & 36. Cum ergo nullus peccator sciat, quo peccato à se committendo, numerus ille complendus sit, ob quem infallibiliter Deus illum est damnaturus, abstineat ab omni peccato, ne fortè primum quod committet, sit illud, quod completurum est numerum peccatorum, præuisum à Deo, ob quæ dānabitur certò & infallibiliter, suā culpā.*

Duodecimum motuum, quia peccata mortalia, imò etiam venialia aliqua, sunt causa omnium calamitatum quas in hac vita patiuntur homines, per tot bella, pestilentiam, morbos & alias ærumnas huius vitæ. Malorum omnium, inquit S. Chrysostomus, causam constat esse peccatum. Ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt passionem. Vnde Dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralytico dicit (vbi anima & corpore paralyticum esse vidisset) Vade, sanus factus es, noli amplius peccare, ne aliquid deteriorius fiat. Nostris peccatis, ait S. Hieronymus, barbari sortes sunt, nostris vitiis, Romanus (dicamus nos, noster) superatur exercitus; & quasi hac non sufficerent cladibus, plus penè bella ciuilia, quàm hostilis mucro consumpsit &c. Non amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur. Hanc ob causam Sancti illi & innocentes pueri in fornacem Babylonicam coniecti, dicebant: Induxisti omnia hæc, propter peccata nostra, peccauimus enim & inique egimus, & præcepta tua non audiuimus. Idcirco Achior Dux Ammonitarum, cum dixisset Holoferni, Iudæos protegi à Deo, & puniri dum eum offendunt, sua sit: Perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentia tua. si verò non est offensus populi eius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus illorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ. Meritò id dixit Achior: Stipendium enim peccati mors est. Mortis autem nomine, quicquid molestum est, significari solet, per metonymiam & catachresin in Scriptura sacra.

Quomodo autem etiam peccata venialia, sint causa magnarum calamitatum publicarum & priuatarum, infra videbimus terribilia huius rei exempla.

Decimum tertium motuum abstinenti à peccatis mortalibus, est infinita malitia quam continent. Non disputo qualis sit ista malitia, de qua in scholis Theologi disputant, sed absolute dico, eo modo, quo docent Sancti, & Theologi, inesse in quouis peccato mortali malitiam aliquo modo infinitam, quia est contra infinitam Dei Maiestatem quam offendit. Magnitudo enim offensæ, desumitur ex magnitudine personæ offensæ. Nam si quis iniuriosè offendat rusticum, & eadem iniuriâ afficiat ciuem honestum, magis offendit, ceteris paribus, ciuem quàm rusticum: si nobilem offendat, maior adhuc est offensa, quàm offensa ciuis; si aliquem ex Proceribus, multò maior; si Regem multò maior. Et eâ proportionem, quâ persona offensa excedit perfectione alteram personam minùs præstantem, crescit magnitudo offensæ. Cum ergo Deus infinitus infinite excedat omnes personas creatas suâ perfectione, hinc fit, vt offensa illius sit infinita. Et ita asserunt expressè hanc infinitatem inesse peccatis. S. Anselmus, S.

125.

hom. 5. de pœnit.

Joan. 5. 14.

ep. 1. ad Heliod.

Dan. 5. 18. 19.

Judith. 5. 24.

Rom. 6. 23. Exo. 10. 17. 4. Reg. 4. 40. Psal. 17. 5. 6. 2. Cor. 11. 23. 2. Cor. 2. 9. 10.

126.

Ancl. 1. Cur homo Deus, cap. 21.

D Tho

Thom. 1.
2. q. 87. a.
4. & 3. p.
q. 1. a. 2. ad
2.
Bonau. 3.
d. 20. q. 3.
in 2. ra-
tione. Sed
contra
Ign. 8.
ad 7. In-
terrog. P.
Brandani
M. 5.
dial. c. 3.

c. 39. vit.

Thomas, S. Bonaventura & S. P. N. Ignatius, & aliqui nobiles Theologi: Peccatum, inquit S. Thomas, commissum contra Deum, quandam infinitatem habet, ex infinitate diuina maiestatis. Tanto enim offensa est grauior, quanto maior est ille in quem delinquitur. Confirmatur hæc doctrina testimonio Dei Patris, qui S. Catharina Senensi dixit expressè: Omnes pena quas anima sustinet vel sustinere potest in presenti seculo, nullo modo condigne sunt ad culpam etiam minimam puniendam, quoniam offensa qua mihi fit, qui sum bonum infinitum, procul dubio satisfactionem exigit infinitam. Non exigeret autem satisfactionem infinitam, si non esset infinita malitia in peccato vel offensa Dei infinita. Hinc merito dixit B. Catharina Genuensis: Quid putas praestarem, quantus facerem, etiamsi tot sanguineas lachrymas profunderem, quot maris sunt gutta, ut satisfacerem pro peccatis meis: Arbitraris pro minimo peccato satisfacerem? Nequaquam. Nam si tantum paterer, atque tam diu quantum ipse diabolus, ad hæc tot cruciatus & martyria in hoc corpore sustinerem, quoque mente comprehendi possent, non crederis amorem posse hæc apud Deum satisfactionis loco ducere, neque inuenire vocabulum huic negotio congruum. Abstine ergo peccatis infinite Deum offendentibus.

127.

Decimum quartum motiuum, abstinenti ad peccatis mortalibus, est summum odium quo diuina Maiestas prosequitur existentem in peccato mortali. Nam ut dicit Spiritus Sanctus: Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius. Est autem hoc in Deo odium peccati maximum & quodammodo infinitum.

Sap. 14. 9.

Primò. Quia ut vidimus paulò antè, in peccato quouis est infinita Dei offensa: idè meretur detestationem & odium Dei, suæ malitiæ proportionatum, ac proinde infinitum.

Pag. 372.

Secundò. Quia quò quis maiore bonitate præditus, eò vehementius odit malitiam & peccatum; cum autem Deus infinita bonitate sibi essentiali sit præditus, etiam infinite odit peccatum.

101.

Tertiò. Quia hanc ob causam in peccato mortali mortuos priuat bono infinito, scilicet se, & sui clarà visione in cælo.

102.

Quartò. Quia eandem ob causam punit malos in inferno, penis infinite duraturis, quia in æternum sine vllò fine durabunt.

128.

Hæc sunt signa infiniti in Deo odij aduersus peccatum. Nec mirum. Quia nunc grauiora sunt ceteris paribus, malorum peccata. Ideo Beatissima Virgo Maria sic conquesta est coram S. Brigitta: Nunc conqueror, quod filius meus ab inimicis suis qui nunc sunt in mundo, amarior crucifigitur, quam tunc Iudei crucifixerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit, nec mori possit, tamen propriis vitiis crucifigitur eum. Sicut enim aliquis homo, imaginem alicuius inimici sui contumeliam & lesionem faceret, licet imago non sentiret illatam, tamen propter voluntatem malam ledenti, laesor quasi pro opere ar-

103.

104.

105.

106.

107.

108.

109.

110.

111.

112.

113.

114.

115.

116.

117.

118.

119.

120.

gueretur & diiudicaretur: sic eorum vitia qui spiritualiter crucifigunt filium meum, grauiora sunt ei & abominabiliora, quam illorum qui crucifixerunt eum in corpore. Et cum dixisset quibus modis peccatores crucifigunt Christi dextram manum & sinistram, & pedes eius, & quomodo pungant latus eius, subdit: Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris: quod tales, sunt ante filium meum iniustiores iudicantibus eum, (scilicet Iudæis & Principibus sacerdotum, ac senioribus populi, qui prius eum iudicauerunt quam Pilatus) immitiores crucifixoribus eius, impudentiores venditoribus eius: & maior pena debetur istis quam illis. Pilatus scilicet filium meum bene non peccasse, nec dignum aliqua morte tamen quia timuit amissionem temporalis potestatis. & seditionem Iudeorum, iudicauit quasi inuitus filium meum ad mortem. Idè grauius isti iudicabuntur, & deteriores sunt Pilato in conspectu filij mei: Quia Pilatus iudicauit eum propter petitionem & voluntatem aliorum, cum timore quodam. Isti autem iudicant eum propter voluntatem propriam absq; timore quando inhonorant eum per peccatum, à quo si velent, possent abstinere. Deteriores sunt Iudæi: quia Iudas tradito Domino scilicet grauius se contra eum peccasse, & properauit dies suos ad infernum, credens se indignum viuere. Isti autem bene sciunt peccatum suum, & tamen perseverant in eo, nullam pro eo in corde compunctionem habentes. Deteriores sunt etiam crucifixoribus eius, qui si sciuissent quod fuisset Rex glorie, nunquam crucifixissent eum. Isti autem vident opera eius quotidie & magna mirabilia, vtuntur beneficiis eius, & audiunt quomodo ei seruire debent, & ad eum venire. Sed cogitant apud se, si omnia temporalia sunt relinquenda: Si voluntas eius & non nostra facienda est, grane est hoc & intolerabile. Idè contemnent voluntatem eius, ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt filium meum per indurationem: addentes contra conscientiam suam peccatum super peccatum. Isti autem peiores sunt crucifixoribus: quia Iudæi fecerunt per inuidiam, & quia nesciebant eum esse Deum: isti autem sciunt eum esse Deum, & ex malitia sua & presumptione propria cupiditatis, crucifigunt eum amarior spiritualiter, quam illi carnaliter, quia isti redempti sunt, illi nondum redempti erant.

CAPVT DECIMVM.

Multitudo peccatorum grauium, in seculo commissorum, non debet retrahere peccatorem ab ingressu in Religionem.

Soleat dæmon nonnullos à Deo ad statum Religiosum vocatos, exagitare peccatorum grauium ab iis commissorum multitudine meti representatà, vt indignos se statu Religioso sancto existimantes, & non sperantes se in eo melius victuros, ab eo resiliant, & (quod dæmon præterdit) manendo in seculo, plura adhuc peccata grauiata accumulent, & tandem in iis moriantur,